



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

VI. De Votis Monachorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

tam inciuiliter, vt non solum in posterum coniugia prohiberentur, sed etiam presentia, contra omnia iura diuina & humana, contra ipsos etiam Canones, factos non solum à pontificibus, sed à laudatissimis Synodis, distraherentur.

Et cum senescente mundo, paulatim natura humana fiat imbecillior, conuenit prospicere, ne plura vitia serpent in Germaniam. Porro Deus instituit coniugium, vt esset remedium humanæ infirmitatis. Ipsi Canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus, propter imbecillitatem hominum laxandum esse dicunt, quod optandum est vt fiat & in hoc negotio. Ac videntur Ecclesijs aliquando defuturi pastores, si diutius prohibeatur coniugium.

Cum autem extet mandatum Dei, cum mos Ecclesiæ notus sit, cum impurus cælibatus plurima pariat scandala, adulteria, & alia scelera digna animaduersione boni Magistratus: Tamen mirum est, nulla in re maiorem exerceri sèuitiam, quam aduersus coniugium Sacerdotum. Deus præcepit honore afficere coniugium. Leges in omnibus rebuspub. bene constitutis, etiam apud Ethnicos maximis honoribus ornauerunt. At nunc capitalibus poenis excruciantur, & quidem sacerdotes, contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter coniugium. Paulus vocat doctrinam dæmoniorum, quæ prohibet coniugium, 1: ad Timoth. 4. Id facile nunc intelligi potest, cum talibus supplicijs prohibitio coniugij defenditur.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, vt mulieres nubant quæ non seruant promissam castitatem. Verba eius sunt hæc libro 1. Epistola 11. Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est vt nubant, quam vt in ignem delicijs suis cadant, certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Et æquitate quadam vtuntur ipsi Canones erga hos, qui ante iustam ætatem vouerunt, quomodo fere hætenus fieri consuevit.)

V I.

DE VOTIS MONACHORVM.

QUID de votis Monachorum apud nos doceatur, melius intelliget, si quis meminerit qualis status fuerit Monasteriorum, quam multa contra Canones in ipsis Monasterijs quotidie fiebant. Augustini tempore erant libera collegia, postea corrupta disciplina, vbiq; addita sunt vota, vt tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur: Addita sunt paulatim supra vota, aliæ multæ obseruationes. Et hæc vincula multis ante iustam ætatem, contra Canones iniecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, qui

bus etiam si non deessent anni, tamen iudicium de suis viribus defuit. Qui sic irretiti erant, cogebantur manere, etiam si quidam beneficio Canonum liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in monasterijs virginum, quam monachorum, cum sexui imbecilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas & adolescentes, in monasteria detrudi propter victum, videbant quam infeliciter succederet hoc consilium, quæ scandala pareret, quos laqueos consciētis iniiceret. Dolebant auctoritatem Canonum, in re periculosis. omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala, accedebat talis persuasio de votis, quam constat etiam olim displicuisse ipsis monachis, si qui paulo cordatiores fuerunt: Docebant vota paria esse baptismo, docebant se hoc vitæ genere, mereri remissionem peccatorum, & iustificationem coram Deo. Imo addebant, vitam monasticam non tantum iusticiam mereri coram Deo, sed amplius etiam, quia seruaret non modo præcepta, sed etiam consilia Evangelica.

Ita persuadebant monasticam professionem longe meliorem esse baptismo, vitam monasticam plus mereri, quam vitam magistratum, vitam pastorum & similibus, qui in mandatis Dei, sine facti-
tatis religionibus, suæ vocationi seruiunt. Nihil horum negari potest, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat postea in monasterijs? Olim erant scholæ sacram literarum, & aliarum disciplinarum, quæ sunt viles Ecclesiæ, & sumebantur inde pastores, & Episcopi. Nunc alia res est, nihil opus est recitare vota. Olim ad discendum conueniebant, nunc fingunt institutum esse vitæ genus, ad promerendam remissionem peccatorum & iustificationem, Imo prædicant esse statum perfectionis, & longe præferunt omnibus alijs vitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideo recitauimus, nihil odiose exaggerantes, vt melius intelligi posset de hac re, doctrina nostrorum. Primum, de his qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quod liceat omnibus, qui non sunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mandatum DEI tollere. Est autem hoc mandatum DEI. Propter fornicationem, habeat vnusquisq; vxorem suam. Neq; mandatum solum, sed etiam creatio & ordinatio DEI, cogit hos ad coniugium, qui sine singulari DEI opere non sunt excepti, iuxta illud: Non est bonum homini esse solum. Igitur non peccant isti, qui obtemperant huic mandato, & ordinationi DEI.

Quid potest contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti quantum voler, tamen non poterit efficere, vt votum tollat mandatum DEI. Canones docent in omni voto, ius superioris excipi,

cipi, quare multo minus hæc vota contra mandata Dei valent. Quod si obligatio votorum, nullas haberet causas, cur mutari possit, nec Romani Pontifices dispensassent. Neq; enim licet homini obligationem, quæ simpliciter est iuris diuini, rescindere. Sed prudenter iudicauerunt Romani Pontifices, æquitatem in hac obligatione adhibendam esse, Ideo sæpe de votis dispensasse leguntur. Nota est historia de rege Arragonum, reuocato ex Monasterio, & extant exempla nostri temporis.

Deinde, cur obligationem exaggerant aduersarij, seu effectum voti, cum interim de ipsa voti natura sileant, quod debet esse in re possibili, quod debet esse voluntarium, sponte & consulto cõceptum. At quomodo sit in potestate hominis perpetua castitas, non est ignotum. Et quotus quisq; sponte & consulto vouit? Puellæ & adolescentæ priusquam iudicare possunt, persuadentur ad vouendum, interdum etiam coguntur. Quare non est æquum tam rigide de obligatione disputare, cum omnes fateantur contra voti naturam esse, quod non sponte, quod inconsulto admittitur.

Pleriq; Canones rescindunt vota, ante annum XV. contracta, quia ante illam ætatem non videtur tantum esse iudicij, vt de perpetua vita constitui possit. Alius Canon, plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot, vetat enim ante annos XVIII. votum fieri. Sed vtrum sequemur, maxima pars habet excusationem, cur monasteria deserant, quia plurimi ante hanc ætatem vouerunt. Postremo, etiamsi voti violatio reprehendi posset, tamen non sequitur, (tamen non videtur statim sequi) quod coniugia talium performarum dissoluenda sint. Nam Augustinus negat debere dissolui 27. quæst. 1. cap. Nuptiarum, cuius non est leuis auctoritas, etiamsi alij postea aliter senserunt.

Quantum autem mandatum Dei, de coniugio, liberet plerosq; à votis (videatur plerosq; liberare à votis) tamen afferunt nostri & aliam rationem de votis, quod sint irrita, quia omnis cultus Dei, ab hominibus sine mandato Dei institutus & electus ad promerendam remissionem peccatorum & iustificationem, impius est, sicut Christus ait: Frustra colunt me mandatis hominum. Et Paulus vbiq; docet, iusticiam non esse quærendam, ex nostris obseruationibus & cultibus, qui sint excogitati ab hominibus, sed contingere eam per fidem, credentibus se habere Deum placatum & propitium, propter Christum, non propter vlla nostra merita.

Constat autem monachos docuisse, quod factitiæ religionis mereantur remissionem peccatorum & iustificationem, & quod pro peccatis satisfaciant. Quid hoc est aliud, quam de gloria Christi detrudere, & obscurare, ac negare iusticiam fidei? Sequitur igitur
illa

ista vota vſitata, impios cultus fuiſſe, quare ſunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei non valet, neq; enim debes votum vinculum eſſe iniquitatis, vt Canon dicit. Paulus dicit: Eua- cuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis, Id eſt, qui ſentiunt quod mereantur proprijs operibus remiſſionem pec- catorum, & quod propter propriam legis impletionem placeant Deo, nec ſentiunt quod propter Chriſtum, gratis, accipiant fide donatam remiſſionem peccatorum, per miſericordiam Dei, & quod propter Chriſtum placeant Deo: hi amittunt Chriſtum, quia fiduciam debi- tam Chriſto, & promiſſioni Dei, transferunt ad opera. Item, oppo- nunt iræ Dei, non propitiatorem Chriſtum, ſed propria opera, quare honorem debitum Chriſto, transferunt ad opera noſtra. Conſtat autem monachos hoc docere, quod ſuis obſervationibus mereantur remiſſionem peccatorum, quod habeant Deum propitium, propter has obſervationes. Quare docent confidere ſuis operibus, non propi- tiatione Chriſti. Hæc fiducia eſt impia, & cum Euangelio pugnat, & in iudicio Dei deprehendetur eſſe inanis. Non enim poſſunt opera noſtra opponi, iræ ac iudicio Dei. Tantum ira placatur ira Dei, quando gratuitam miſericordiam, propter Chriſtum promiſſam, fide apprehendimus. Amittunt igitur Chriſtum, qui fiduciam non in Chriſtum, ſed in opera propria collocant.

Præterea monachi docuerunt, ſuum vitæ genus, ſtatum eſſe perfectionis, quia obſeruaſent non ſolum præcepta, ſed etiam confi- lia. Hic error maxime pugnat cum Euangelio, quod ſinxerunt ſe præ- ceptis ita ſatiſfacere, vt amplius etiam facerent. Et hinc natus eſt horribilis error, quod ſinxerunt ſe habere merita ſupererogationis. Hæc applicauerunt pro alijs, vt ſatiſfactiones eſſent pro alienis pec- catis. Hæc ſi quis odioſe velit exagitare, quam multa commemorare poſſet, quorum iam ipſos Monachos pudet?

Non eſt leue ſcandalum, in Eccleſia populo proponere, certum cultum ab hominibus excogitatum, ſine mandato Dei, & docere, quod talis cultus iuſtificet homines. Quia iuſticia fidei in Chriſtum, quam maxime oportet tradi in Eccleſia, obſcuratur, cum illæ mirifi- cæ religiones Angelorum, ſimulatio paupertatis & humilitatis, & cœlibatus, offunduntur oculis hominum.

Præterea obſcurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cum audiunt homines, ſolos Monachos eſſe in ſtatu perfectionis, quia perfectio Chriſtiana eſt, ſerio timere Deum, & ruruſ concipere mag- nam fidem, & confidere propter Chriſtum, quod habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certo expectare auxilium, in omnibus rebus gerendis, iuxta vocationem. Interim foris diligenter facere bona opera, & ſeruire vocationi. In his rebus eſt vera perfectio, &

F verus

verus cultus Dei, non est in cœlibatu aut mendicitate, aut veste sordida, Ac populus concipit multas perniciosas opiniones, ex illis falsis præconijs vitæ Monasticæ. Audit sine modo laudari cœlibatum, ideo cum offensione conscientiæ, versatur in coniugio. Audit solos mendicos esse perfectos, ideo cum offensione conscientiæ, retinet possessiones, negotiatur. Audit consilium Euangelicum esse, de non vindicando, ideo alij in priuata vita non verentur vlcifci, audiunt enim consilium esse non præceptum. Alij, omnes magistratus, & ciuilia officia, iudicant indigna esse Christianis.

Leguntur exempla hominum qui deserto coniugio, deserto reipub. administratione, abdiderunt se in Monasteria. Id vocabant fugere ex mundo, & querere vitæ genus, quod Deo magis placere nec videbant, Deo seruendum esse in illis mandatis, quæ ipse tradidit, non in mandatis, quæ sunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus est, quod habet mādatum Dei. De his rebus necesse est admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerson errorem Monachorum de perfectione, & testatur suis temporibus nouam vocem fuisse, quod vita Monastica sit status perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quod mereantur remissionem peccatorum & iustificationē, quod sint perfectio Christiana, quod seruent consilia & præcepta, quod habeant opera supererogationis, Hæc omnia, cum sint falsa & inania, faciunt vota irrita.

VII.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

MAGNÆ disputationes fuerunt, de potestate Episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem Ecclesiasticam, & potestatem gladij. Et ex hac confusione, maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices freti potestate clauium, non solum novos cultus instituerunt, reseruatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias onerauerunt, sed etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere imperium, conati sunt. Hæc vitia multo ante reprehenderunt in Ecclesia homines pijs & eruditi. Itaq; nostri ad consolandas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen Ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladij, & docuerunt, vtrinq; propter mandatum Dei religiose venerandam, & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, potestatem clauium, seu potestatem Episcoporum, iuxta Euangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, predicandi Euangelij, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apo-